

millesimo vicesimo sexto, III. kalendas Augusti, septima sabbati prima vigilia noctis, in unam ipsius villę domunculam, castro ipsi contiguam, ignium sparsit faculam; iamque plurimas edium vorax sternens incendium, clamor oritur omnium; planctus sonat mulierum atque luctus infancium. Curritur ad signa, propter fores basilicę dependentia. Quorum sono exciti, repente prosilimus stratis, alii seminudi, nonnulli pedibus nudatis, utpote tanto infortunio turbati. Tota dormitorii facies ebullientis fornacis speciem retinet, scintillis cum carbonibus domus ipsa precingitur. Cerneret ipsam sanctę Dei genitricis aulam mediis quasi in caminis locatam. Quid plura? Aecclesiam concurrimus, signa pulsantur, sed melodiam psalmorum, implorationem letaniarum insurgentium terror interrumpibat flammarum. Fatigati deficimus, spes nulla, consilium nullum. Pro dolor! inspiceres ipsos monastici ordinis primos et patres lacteos rumpentes manibus crines, coramque ipsam singularis institutoris presentiam<sup>1)</sup> senili fronte terram terentes, ipsaque decrepite etatis pectora cum gemitu pugnis tondentes. Ceteros, velut errabundas oves, huc illucque fluctantes haud ullius<sup>2)</sup> intelligentię sensus pre se habentes. 47. Interim latius exestuans<sup>3)</sup> ardor proruens, beati Andree corripit aecclesiam. At contra aliquantulum resumentes vires, quamquam inhertes, illud singulare margare-tum imponimus humeris, et tremebundis efferimus brachiis contra infestantis rabiem tempestatis. Illuc identidem terrę prostramur, preces cum lacrimis fundimus, cum subito trabes immense magnitudinis, flammis ambusta torridis, pone sacrosanctam leticam corrui.

Confestim retro cedimus, ad meridianam plagam tendimus, inque horto nostri pomerii consedimus distantis a monasterio ferme viginti passibus. Vir autem domini Gauzlinus, altum premens corde dolorem, angoresque animi forti constantia refrenans, conquerentium cuneis vallatus, illud beati Iob, bacculo innixus, repetebat frequentius: 'Dilectissimi fratres ac filii, si bona suscepimus de manu domini, mala quare non suscipiamus, cum quod ipse dederit idem et abstulerit?' His et huiusmodi eos corroborans exemplis, interim subitis labitur ruinis edes nobilis templi, atque trepitantibus ignium cincta coronis corruens victa fatiscit.

Modo quidem<sup>4)</sup> consimili basilica beati Petri, apostolorum principis, discrimine patitur aequali. 48. Nequaquam vero his adversitatibus inclitus pastor permotus, desperatos discipulorum animos, ebrios et non a vino, tali confortat<sup>5)</sup> alloquio: 'Fratres karissimi, quid dolore consumimini? An vos homines esse non perpenditis? An et hec hominum industria non compegit? Num idem sensus, eadem facultas, idem intellectus mentis non

1) Sic! 2) So verbessert der Corrector aus: illius. 3) Hs.: exestuans. 4) Hs.: quidaem. 5) Hs.: confortatur.